

Sammlung



HISTORIA
SACROSANCTAE
NATIVITATIS DOMINI
NOSTRI JESV CHRISTI, ELE-
giaco Carmine Reddita.

ET
RECITATA IN SCHOLA
Henricopolitana.

AB
HENNINGO CVNNEMANO HEME-
rensi, Scholæ ejusdem alumno.

11. Calend. Januarii.

Anno

DatVs est nobIs sine beLLO bonVs
IMperator.



GUELFERBYTI,
Typis IVLII ADOLPHI à Sohne.



SERENISSIMO AC ILLUSTRIS-
simo Principi & Domino,

DN. FRIDERICO HVLDERICO.
DVCI BRVNSV. ET LVNAEB.
Domino suo clementissimo.

Elegiam hanc

Omni animi submissione

Dedicat, Consecrat, offert

HENNINGVS CVNNEMANVS.

Lux.



Lux a sancta redit, toto celeberrima mundo,
Nobilius nullum quàm jubar annus habet,
Quàm satus eterno Deus à patre Christus in orbem
Venit, Et è pura virgine natus homo est.
Exultent cœli, letetur terra, triumphent
Christiades, Dominum concelebrent quæ suum.
Consonet angelicæ genti radiantis Olympi
Gens humana pium voce sonante melos.
Hæc toties optata dies, hæc aurea lux est,
Quam Dominus populo donat habere suo.
Scilicet hæc sacrâ nobis, hæc luce Redemptor
Nascitur, hæc nobis luce reducta salus.
Factus homo Deus est, homines ut labe gravatos
Redderet eterno pignora grata Deo.
Hæc animis celebrare juvat pia tempora lætis,
Et bona sacro dicere verba die.
Huc igitur potiùs Phœbi properate sorores,
Solvete modulis suaviter ora novis.
Non remora vobis sit Bructerus, alget is albus,
Sparsit Et Hercinias frigida bruma comas.
Non vos detineat ripis præterflus Ocer,
Ocer aquis discens tardius ire suis.

Huc properate, Deum grato cantabimus ore,
Fecit is in populo plurima mira suo.
Historiam sacram tenui modulabor avenâ,
Historiam induiti membra caduca Dei.
Sed quid opem Musas posco, quæ vanapoëtis
Numina, tam sanctum dum modò conor opus?
Tu linguam rege Christe meam, tu verba canenti
Digna mihi in laudes suffice Christe tuas.
Te sine nil recti inceptat, nil inchoat ali
Mens, duce te, recti quod facit, omne facit.
Tuque adeò positæ anima expergiscere curis,
Et celebra Dominum carmine læta tuum.
Fascibus imperii raptis dominatus in orbem
Augustus triplicem sceptrâ tenebat herus.
Belli clausa domus ferro, & compagibus arctis,
Mars insueta gerens vincula captus erat.
Blanda trahebantur totis passim otia terris,
Omnia securæ plena quietis erant.
Sic igitur Caesar, pacatis undique rebus,
Ex omni populos convocat orbe suos,
Convocat & censum capit is, rerumq; suarum
Imperiis adigit pendere quemque suis.
Casaris his jussis omnes parere parabant,
Ibat ad agnatas illico quisque tribus,

Ad

Ad patriam, ad gētem consanguinitate propinquā
Tendebat studio plurima turba pari.
Quare & Iosephus gravida cum virgine sponsa
E Galileorum se regione movet.
Urbs antiqua jacet Iudæa in finibus ora
Tunc celebrata minus, nunc veneranda nimis,
Bethles nomen habet, Iessei patria regis
Olim parva quidem, patria grata tamen.
Huc senior notā fertur regione viarum
Iosephus segnes precipit ando moras,
Nempe ut Iessæ, fuerat qua natus, in urbe
Cum sibi cognata gente tributa daret.
It comes, & cari sequitur vestigia sponsi
Virgo quidem pregnans, virgo sed illa tamen.
Virgo viri sine congressu, sine sanguine, flatu
Impragnata sacro mox paritura Deum.
Jamque fatigatā fessus cum virgine Ioseph
Venerat ad Bethles mœnia parva sua.
Jam victus, jamq; hospitio, requieq; parabant
Solari longa tædia mœsta via.
Sed non hospitio, non optatæque quieti
Vsq̄quam erat in tota commodus urbe locus.
Heu mihi! tandem inopes, nudi, fessique jubentur
Nigra gregis subeant lustra, humilemq; casam

Jamque atrata polum bigis Nox veſt a tenebat,
Spargebatque ſuum ſplendida luna jubar,
Luna jubar decimum, tandem cum ponere vellet
Fœta parens uteri dulce tumentis onus.
Ergo (ſtupe Natura Dei magnalia: mente
Quisquis es hæc tecum volve, revolve piâ)
Ergo Deum, Dominumq; poli, terraq; Monarcham
In lucem partu caſta virago dedit.
O puer, ô toti puer acceptabilis orbi!
O puer, ô populi ſpesq; ſalusq; tui!
O quanto fuerat dignum te, Jeſule, plauſu
Excipere! ô quali teque locare toro!
Nunc miſerum te, te nudum, teq; omnium egenum
Duro in præſepi ſtramen agreſte ſovet.
Comprehendunt anguſta Deum præſepia magnum,
Quem non terrarum machina tota capit.
Nempe nihil pompam, luxum nihil eſſe ſuperbum
Talibus indiciis, optime Chriſte, doces,
Vnde quoque ante alios oviumq; boumq; magiſtris
Nunciat adventum cœlica turba tuum.
Commiſſas illi pecudes tum fortè per agros
Ducebant vigiles, ingenuique viri.
His ſacer eximiâ cum ſeſe in luce videndum
Præbuit à ſuperis Angelus adveniẽs.

Flagra-

Flagrabat radiis aër, tremuloque coruscus
Lumine, jam tenebris undique liber erat.
Obstupuere viri tanto splendore, reliquit
Ossa calor, solitus fugit ab ore color.
Quos sic affari, curasque his demere dictis
Angelus, & mentes erigere usque pias:
Solvite mœrores animo, secludite curas,
Spes lætas hilari corde fovete viri,
Gaudia ego vobis, vobis ingentia porto
Gaudia, ego vobis gaudia mille fero.
Ipse Deus vobis factus servator in orbem
Venit, & è pura virgine natus homo este
Scilicet aeterni soboles aeterna parentis
Messias populi rexq; salusq; sui,
Quem Reges, Patres, quem fatidicique Prophetæ
Optârunt oculis sæpe videre suis.
Nunc datur in cunis (sed sunt præsepia cuna)
Vicina Isaida regis in urbe pii.
Ite viri, natum Messiam querite, Christum
Visite, ne ignaros devius error agat,
Fasciolis vinctum, & puerili more querentem
Cernetis natum virgine matre Deum.
Talia perstabat memorans, trepidosque monebat
De partu Mariae nuncius ille Dei,

Cum

Cum subito ante oculos, media inter talia verba
Cernitur aligeri cœtus adesse chori.
Carmina grata Deo mistis canit ille figuris,
Et canit attonitis carmina grata viris.
Magno cœlorum, dicunt, sit gloria regi,
Gloria sit superùm lausq; decusq; patri,
Gloria in excelsis Domino, pax aurea terris
Rideat, in toto blanda sit orbe quies.
Hos hymnos, hæc vota sonant, his æthera spargunt
Vocibus angelici turba beata chori.
Eia agite & gratofaciamus pectore nosmet,
Nomine quod nostro cœlicus ordo facit,
Carmina carminibus jungamus, vota que votis,
Dicamusque suâ pro bonitate Deo:
Gloria sit, sit honor, virtus, decus atque perennis
Laus tibi ò una Trias, laus tibi trina Monas.

F I N I S.

99 A 6908

ULB Halle 3
002 927 25X




JK

Retro 1

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13



35

R I A

NCTAE

S DOMINI

HRISTI, ELE-

Reddita.

SCHOLA

ana.

EMANO HEME-

m alumno.

anuarii.

deLLO bonVs

BYTI,

PHI à Sohne.

